



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||**

**Lensaeus, Johannes**

**Antverpiae, 1590**

Prooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

DE  
CHRISTIANA  
LIBERTATE  
LIBER DVODECIMVS.

PROOEMIUM.



VERVNT atque exoptant, hac æta-  
te, multi religionis libertatem: eam-  
que vel impetrare, supplicando; vel  
obtinere, fallendo; vel etiam cogen-  
do extorquere nituntur. Quibus alij  
respondent, nullam religionis, in Re-  
publica bene instituta, libertatem esse cōuenire. quin  
potius, quod libertatē vocent, nihil id esse aliud, quàm  
impiè & perditè, cūm sentiendi & loquendi, tū etiam  
agendi viuendique licentiam. Ac rectè id quidem illi,  
verissimeque respondent: quoniam ad id quod intel-  
ligunt isti eo nomine libertatis, atque ad rem ipsam  
quam flagitant, prudenter attendunt. Alioqui & ser-  
mo ipse & sensus, quo libertas religionis seu libertas  
Catholica dicatur, apud Tertullianum, & Hilarium,  
& Opratum, & Leonem Pontificem, aliosque subin-  
de reperitur auctores, & reuera existit probanda ali-  
qua atque optabilis religionis libertas, quando rectè  
accipitur. Quæ, cūm in primis ad libertatem perti-  
neat Christianam, ne turberur atque auferatur factio-  
rum conatibus, id omni cura providentiæque ca-  
uendum est. Sed de ea quid sit, primò videbimus: de-  
inde, quid hoc nomine intelligant hodie non pauci,  
quibusque id nitatur fundamentis, & an sit petenti-  
bus annuendum, passimque in Republica Christiana  
conce-

*Apologes. 23.  
Ad Constant.  
Imper.  
Lib. 1 contra  
Fav. Epist. 26.  
ad Iulianum  
Augustinum.*



606 DE CHRISTIANA LIBERTATE  
concedendum. Postremò, argumenta complura, quæ  
falsæ libertatis patroni studiosissimè coaceruant,  
quanta poterimus perspicuitate dissoluemus.

CAPVT I.

*Nullam esse sine veritate religionis libertatem.*

*Psal. 78.*

*Rom. 2.*

*In Psal. 32.  
Concione se-  
cunda.*

CVM igitur verissimè scriptum sit, quod ex ipso  
veritatis fonte manauit, eum qui peccatum fa-  
ciat, seruum esse peccati: dubium relinqui non potest,  
quin misera quædam seruitus sit, ignorantio veritatis.  
Nisi enim & ignorantia peccatum esset, non diceretur  
per Prophetam: Effunde iram tuam in gentes quæ te  
non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non in-  
uocauerunt. Non idem etiam ad eum modum prece-  
retur: Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne  
memineris. Propterea quoque beatus Gentium Apo-  
stolus pronunciat, eos qui sine lege peccauerunt, sine  
lege perituros: quòd eos excusare non posset legi-  
ignoratio, quæ in eis qui intelligere noluerunt, quem-  
admodum ait diuus Augustinus, sine dubitatione pec-  
catum est. Peccatum ergo, cum sit veritatis ignorantia,  
statuendum est, non modò propter concupiscentie  
regnum, quempiam seruum esse peccati; verum etiam  
propterea quòd ignarus salutiferæ veritatis, noxiis erro-  
ribus, voluntarius tamen ac lubens, implicatur; qui  
velut cathenis à diabolo captiuus tenetur, ad ipsius  
voluntatem. Idcirco enim doctrinæ dæmoniorum à  
Paulo vocantur, quòd & ab illis tradantur auctoribus  
& per eas infelices hominum animos sibi subiungunt  
planeque in suam redigant seruitutem. sublata quippe  
per veritatis notitia, tanquam extinctis luminibus, & oculis  
erutis, regit hominem diabolus, tenebrarum pro-  
pterea princeps appellatus, quòque libuerit, impellitur  
sibi que penitus seruire cogit. Quod in ipsa quidem